Caput III.

[Aut quæ vtilitas est circuncisionis] id est, quid consequutus est de circuncisione? Huic interrogationi vel obiectioni respondetur, quia [multum] amplius Iudæo secundum priora tempora, & hoc [Per omnem modum] id est; per corporalem & spiritalem modum. In vtroque enim modo fecit Deus multa Iudæis, quæ gentilibus nõ fecit: & ita secundum priorem statum sunt digniores, sed nũc in fide non excellentiores. Corporali modo pluit illis mãna in deserto, & introduxit eos in terram promissionis, ac magnis opibus ditauit: spiritali quoque modo benefecit eis, dans illis notitiã sui, & aperiens voluntatem suam, & iustificãs eos per fidem venturi redemptoris. [Primum quidem.] Quasi dicat, Vt alia minora de temporalibus præ termittam, hoc primũ & præcipuũ pono, [Quòd eloquia Dei] id est, lex & prophetæ [illis] vt amicis [sunt credita] per quæ intelligerent de futura incarnatione sapientiæ Dei & redemptione hominum. Vel credita sunt ab illis, quia nos credimus veras esse scripturas, quas illi tradiderunt nobis, & à nulla alia gente libros diuinæ authoritatis recepimus. Siue credita sunt ab illis, id est, ipsi ea crediderunt, quæ prophetæ & lex de Christo prædixerant: & ita facilius receperunt Christum, quem in ipsis eloquiis intelligebant promissum. Et vere [credita sunt ab illis] hoc est, illi ea crediderunt. [Quid enim obest.] Si quidam illorum non crediderunt?] Vel ita: Vere plus habuerunt in eo quod deus credidit illis eloquia sua, quoniã propter hæc Christus ad eos venit, & ad fidẽ primos adduxit. Quid enim obfuit, si quidam illorũ non crediderunt? [Nũquid incredulitas illorum fidem Dei euacuauit] id est, inanem fecit fidẽ dei, qua credunt homines in Deum? [Absit] vt euacuaret eam. Non enim ideo minus factum est credentibus, si alij credere noluerunt: nec fides propter eos vacua remansit, sed repleta est credentibus. Vel fides Dei est fides promissionis, quam fecit Abraæ de Christo & multitudine spiritalium filiorum. Et si quidam Iudæorum nõ crediderũt, nunquid incredulitas illorum euacuauit fidẽ dei? id est, nunquid vacuam & inexpletam fecit promissionem Dei? Absit hoc ab humanis cordibus, vt diuinam promissionem putent euacuatam. Licet enim aliqui fuerint increduli, tamen alij crediderunt, in quibus completa est veritas promissionis. Non est euacuata fides promissionum dei, sed Deus est in promissionibus suis verax, quoniam veraciter illas adimplet. [Deus] quidẽ [verax est] in omnibus quæ loquitur, sed [Omnis homo est mẽdax.] Hoc addit, vt appareat promissionem Dei factam esse & completam, non propter aliquam hominum dignitatem, sed propter miseriam, vt gratia detur indignis, & commendatior sit gratia. Deus dicitur verax, id est, inuariabilis tam in essentia quàm in promissis. Homo autem mendax, nec verum esse habens, & propter peccata defluens. Omnis nanque homo mendax est, id est, humana natura sic est ex primitiuo casu corrupta, veneno serpentis infecta, vt sine mẽdacio peccatorum non existat in hoc seculo. Non enim solummodo verbis, sed & factis est mendax. Omnis homo, inquantum homo est, est mendax. Sed nõnulli qui per gratiam dei supra homines fiunt, etiam veraces per eandem gratiã efficiuntur. Quibus de causis fidem suam Deus non permisit euacuari? Tum propter suam immutabilem veritatẽ, tum propter venialem statum humanæ fragilitatis. quæ postea à veritate decidit, sine peccatorum mendacio non potest existere. Ita est Deus verax, & homo mendax, [Sicut scriptum est] in Psalmo, [Vt iustificeris in sermonibus tuis &c.] Quasi diceret Psalmista: O domine pronunciasti quidem sine personarum acceptione te in peccatores vindicaturum: & dum nunc mihi remittis, propitiationem tuam mendacium iudicant. Sed vincis, dum iudicaris iniustus esse remittẽdo peccata mea: quia dum homo ipse culpam in se lamẽtando persequitur, indulgentia pietatis tuæ non iniusta esse probatur. Dum in me reatum arguis per prophetam, probas te habere de nostris operibus curam, & vincis eos qui te incuriosum humanorum actuum iudicabant. Sicque tu verax esse probaris, homines autem mendaces. Peccaui, & malum coram te feci, vt tu mittendo filium tuum de stirpe mea, sicut promisisti, iustificeris in sermonibus tuæ promissionis, id est, iustus & verax esse comproberis, non dimittendo propter iniquitatem meam quin filium tuum, sicut loquutus es, ex semine mæo carnẽ susceptre facias vt mundum redimat. [Et vincas] implendo promissa, [cùm iudicaris] non debere implere propter peccata mea. Iustificeris in sermonibus tuis, implendo illos. Iustitia enim sermonum est veritas: & vincas reprehensores tuos mendaces, cum iudicaris ab illis iniustus dum mihi parcis & dignũ me tua promissione facis. Hanc lineam Apostolus sequitur nũc, quasi dicens. transgressi quidem Iudæi fecerũt nomen domini blasphemari, vt diceretur: Hæc erat illa gens sancta & populus electus, qui se nũc trãsgressione & inexpiabili sacrilegio & crimine impietatis inuoluit: ecce per scelus eorum vacuata sunt promissa Dei. Sed non ita est. Nam si transgressores à gratia exciderunt, veridicam domini promissionem obedientia fidelium consequitur. Ac sic confusis illis, qui eloquia diuina in irritum adducta iactabant, iustificatur Deus in sermonibus suis, & vincit cum iudicatur, dum gratiam ab incredulis repudiatam, credentibus confert.

Si autem iniquitas nostra iustitiam Dei commendat, quid dicemus? Nunquid iniquus est Deus qui infert iram? Secundum hominem dico. Absit. Alioquin quomodo iudica-

Psalm. 115.

Psalm. 50.